ECLOGA ROBERTI TITII BURGEN. AD HIERONYMUM GUICCIARDINUM ANGELI F. LYCABAS, …

Roberto Titi





ROBERTI TITII BVRGEN.

AD

HIERONYMVM GVICCIARDINVM

Angeli F.

Lycabas, & Lacon.



HÆC tibi communi dum me pia cura dolore
Conficit, atq; adeo propius mea commoda tangit,
GVICCIARDINE dico meo stus prope fluminis vndā,
Quæ secat Alphæa placido sata pinguia cursu.
Et quanquam magno stupefactus nuper ab ictu,
Nondum dispersos potuisatis vndique sensus
Colligere, atq; animi reuocare in pectora vires,
Pauca tamen libuit facilis dictante Thalia
Flebilibus canere apta modis, vt tester amorem

Ingentem, atq; dolor noster patefiat acerbus,
Tu mihi te faciem dederis, namq; antè solebas
Corde aliquam nostri curam gestare sub imo,
Interdum & promptas laudare ad carmina Musas.
Nauta sic igitur Lycabas mirator Iberus,
Thyrrenusq; Lacon varijs cum ex partibus orbis
Commum peterent cursu vada feruida fluctu
Trinacriæ, atq; eadem veherentur per mare puppe.
Lyc. *Quæ tandem facies alieno sydere Cæli*
Nocte dieq;, Lacon, nobis se ostentas? vt altè
Disruptæ nubes tonitrus dent æthere, Diuûm
Rex velut emisso repetat si fulmine pœnas
Audacis cœpti, cùm sæua incendia terris
Intulit insolitas quo olim male rexit habenas?
Sydereasue genus Titanum scandere sedes
Ausum, præcipitis tendat detrudere casu?
Quid toties nimbi commixti grandine sæui
Portendunt, cælo subtractaq; lumina Solis?
Et passim æquoreæ resonant vlulatibus vndæ?
Lac. *Quid mirum, ò Lycaba nescis si fœdera mundus,*
Nec certas seruare vices totoq; feruntur
Membra salo? cùm perpetuo languentia somno
Clauserit (heu Parcæ crudeles) lumina COSMUS,
COSMUS progenies Diuûm, cui sceptra dederunt
Numina, & imperio populos sub pace regendos
Aeternâ, amissum quem luget Thusca tellus.

Quis

Qui neget ingentes fluuios tam posse retrorsum
Ferri, &, nunc vbi monstra mari visuntur aperto
Persultare feras, modò quæ frondentibus vmbris
Pœnis latitant, & scrupea lustra frequentant?
Syderaue insolito flammantia pergere motu?
Atq; vbi nunc Boreas gelido se promit ab axe,
Incita ab aduerso dominari cardine flabra?
Et dare discidium terris elementa superne?
Sin natura Deûm immortalis morte fatiscit,
Nec potis est hominum communem euadere sortem?
Illum etenim, ò Lycaba diuino semine cretum
Iuppiter omnipotens claro demisit Olympo,
Cùm passim mortale genus, fœdeq; iaceret
Oppressum grauibus curis, quas bella tulerunt
Sanguinolenta patrum quondam, ciuilesq; arma,
Tunc etenim altitonans summa miseratus ab arce
Horrendas cædes, sæuásq; hinc inde rapinas,
Et fas, atq; nefas nimium tam turpiter omne
Misceri, & populos crudis seruire tyrannis,
Quos aut nobilitas effert antiqua suorum,
Ingentesq; animos addit, fastusq; superbos,
Aut illata bonis violentia concitat, aut qui
Argento, atque auro solium inuasere supremum,
Finxit in æthereâ corpus regione beatum,
Inseuitq; animum cunctis virtutibus auctum;
Huic dedit ingenio rerum peruadere caussas

Et cæcos motus populorum, animosq́; rebelles,
Hinc Astræa comes graditur, fingitq́; volentem,
Et rectas librare docet virgo aurea lances,
Ut non plus hac parte premat, quàm subleuet illa.

Lyc. *Angitur Deus ille, Lacon, pia lumina noctem*
Clausit in æternam fato obnoxius atro?
Nunc horrenda memor sacri præsagia vatis,
Cassé qui quondam nostras operatus ad aras,
Numine correptus Phœbi responsa canebat,
Mente aguo pauoq́; simul, namq́; ille ferebat,
Iuppiter vt rerum summam posuisset in vno,
Cui regere imperio dederit florentia rura
Quæ placidis rigat Arnus aquis, longeq́; sonantis
Alluit vnda freti Thyrreni cognita nautis,
Hunc fore, qui quondam Lybicos armaret in hostes
Innumeras a.tes, & propugnacula bello
Alta Lyburnorum, vt tutò freta longa secare
Puppe cita, medioq́; mari colladere posset
Prouecta exili lembo, pictisq́; phaselis,
Et pisces captare vagos sacra turba piorum;
Hunc fore, consilio reges qui iungeret arcto
Foedere, & instructam non multo remige classem
Suaderet medios Scythicos immittere in hostes,
Innumeras q́; rates, florentesq́; ære cateruas,
In[illegible]nem vt peterent multa cum laude coronam,
Tantum religio valet & fiducia recti.

Huic

Huic tamen esse anceps bellum cum morte gerendum,
Ex quo si parta liceat discedere palma
(Namq; hoc obscurum, nec fas cognoscere quemquam)
Tunc illa æternum vitam producet in æuum,
Et referet pulchro Saturnia sæcula mundo:
Quòd si fatales peruincant prælia Parcæ,
Omnia præcipiti retro sublapsa ruina
In peius cedent, rapidis victoria pennis
Templa externa petet, fusoq; ex hoste triumphi,
Tunc Scythicus maris obsessor rapere vndiq; prędas
Festinabit atrox, & vincula nectere captis,
Hinc ædes, hinc sacra Deûm delubra nefandi
Corripient ignes, arcesq; vrbesq; beatas.
Quin etiam superi regnantes æthere puro
Signa dabunt, quatientq; nouo cælum omne fragore.
Hæc nos nunc agitant portenta, hæc monstra feruntur
Insolita, hæc quondam vates ex ore profudit
Veridico, ad tantos nos casus fata reseruant.

Lac. *Quamquam me, Lycaba, signa hæc horrenda dolore*
Concutiunt, dubiamq; tenent formidine mentem,
Non tamen vsque adeò miseros exosus ad vnum est
Christicolas pater ille hominum, pater ille Deorum,
Nec ventis portanda dedit pia vota precantum,
Ut subito ingentes animos, & funditus omnes
Spes Italum perijsse rear, nam COSMUS ab [illegible]
Prospectans regione Poli cuncta ordine miro

Digerit, atque solo monstrat vestigia nato
Trita suo, quibus insistens Dux Magnus acerbas
Absterget curas conceptas morte parentis,
Tranquilleq; reget populos sub fœdere pacis.
Hæc secum vario nautæ sermone serebant,
Cum tandem optatæ Siculæ aduertuntur arenæ
Intrantes portus, & mœnia celsa Panormi.

F I N I S.





Digerit, atque solo monstrat vestigia nato
Trita suo, quibus insistens Dux Magnus acerbas
Absterget curas conceptas morte parentis,
Tranquillaq; reget populos sub fœdere pacis.
Hæc secum vario nautæ sermone serebant,
Cum tandem optatæ Siculæ advertuntur arenæ
Intrantes portus, & mœnia celsa Panormi.

F I N I S.

